

longiores præter solitum, sternutationes frequentes, emundiones narium & exspuitiones solito copiosiores, alvi segnities, & flatuum copia, hæc omnia arguunt catarrhos. Si simul adsint febriculæ, eæ nocturno tempore, quas tussis, rauco & sputum copiosum sequitur, augmentum capiunt.

PRÆSENTIS indicia manifesta sunt ægris ipsis ac adstantibus, ut doctis illa præscribere parum sit necesse, inquit *Barbetti in praxi capiti 4. de catarrh. §. 5.* Sensibus enim patet, dum multa, per nares, os, fauces externi videmus. Imprimis autem considerandum probè an latex acidus, acris aut tenuis, an crassus sit. *Tenuis* nocte obstructis poris affligit magis. Adjungantur dolor, rubor, excoariatio & exulceratio partium patientium &c. Hæc catarrhum ex mente veterum calidum signant: si hæc absint & potius adsint viscida & crassa contrarium significant.

Scorbuticorum catarrhorum diagnosi consistit in eo, quòd contumaces sint, & curati in unâ corporis parte, in aliâ repululent.

Indagandum, an causam agnoscant vel internam vel externam. Si ab *externâ* nempe injuriis aëris frigidis vel calidis affectus cognitu non est difficilis v. g. si chemicus catarrho laboret, contracto ex Gas carbonum, fumisq; arsenicalibus venenatis ex relatione patebit. Si ab *internâ*: videndum an ventriculus laboret cruditatibus, inde nati catarrhi ex frequenti recurso, in eâdem parte ob vitiatum robur sive tonum non difficulter dignoscuntur. Accidit etiam, ut non in eodem loco, quem primo occuparunt, sed viciniore observentur, tales pro scorbuticis habere possumus.

Digestionis vitiatæ signa sunt non tantum  $\square$ æ, quæ ut plurimum pallidæ & tenues excernuntur; sed etiam quod tales ægri sint sputatores, facile sudent, de quæ vitiato stomacho ejusque debilitate conquerantur.

Epidemicorum catarrhorum signa sunt diversa, nonnunquam enim tussis adest molesta cum sputo copioso & catarrho in fauces & laryngem decumbente: affligit calor febrilis cum siti, in appetentiâ & lassitudine spontanea. Hæc indicant notabilem sanguinis effervescentiam & magnam pororum constrictionem, signa hæc  
diagno-